

Gabriel Groddeck Paul Matthias Engel


[...] sive De Iudaeis Praeputium Attrahentibus, ad illustrandum Apostoli locum 1. Cor. VII. 18.

Lipsiae: Richter, 1699

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788762931>

Druck Freier  Zugang





Universitäts
Bibliothek
Rostock


http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn788762931/phys_0001

DFG

33

Fa-1092 (33.)

24.
2.
3.
4.
5.
6.
8 18
9.
1.
14.



משוכים

five

DE

JUDÆIS PRÆPUTIUM
ATTRAHENTIBUS,

ad illustrandum Apostoli locum

i. Cor. VII. 18.

Indultu Amplissimæ Facultatis
Philosophicæ,

PRÆSIDE

M. GABRIELE GRODDECK,

LL. Or. & Thalmud. PP. Extr. Facult. Philos. Assessore
& Collegii B. Mariæ Virginis Collegiato,

Fautore ac Præceptore suo colendo

ad d. VIII. Julii cdo lcc Ic

H. L. Q. C.

disputabit

PAULUS MATTHIAS Engel/

Gedanensis.

DIPSIÆ,

Typis JOH. HEINRICI RICHTERI.

*Joh. Hoffm. s.
R. Kemzin.*

Inclutæ Reipublicæ Gedanensis
SENATUI
Generoso & Magnifico
Sacræ Poloniarum Majestatis Regiæ
Illustri DOMINO
BURGGRAFIO
Cæterisque Viris
Generosis, Magnificis,
Maxime Strenuis
Nobilissimis ac Consultissimis
DOMINIS
PRÆSIDII,
PRÆ-CONSULIBUS
&
CONSULIBUS,
Dominis Patronis & Mæcenatibus
Optimis Maximis
sub ulterioris Patrociniî spe
cum ardentissimo omnigenæ prosperitatis
voto consecrat
Illustr. & Magnif. Nominum.
Cliens subjectissimus
PAULUS MATTHIAS Engel/Ged.



בכר

Præfamen.



B eo tempore, quo primarium religionis Judaicæ Sacramentum Circumcisionem per Patrem Circumcisionis, Deus populo suo tradi, ac velut signum esse voluit fœderis sui cum Abrahamo facti, quo ipsius posterii paternæ fidei se consortes indicarent, ac tanquam notabili indice à reliquis gentibus segregarentur; hunc insignem gratiæ Divinæ characterem, quamvis cum acerrimo dolore conjunctum, tantum abesse, ut electa illa summi Numinis progenies unquam è corpore suo abolere, quin potius in hodiernum recens natos summo cum rigore illum propagare ac conservare studuerit. Quod diversis testimoniis comprobare facillimè liceret, nisi res in propatulo esset, ac obcoecata gens, a vitis legibus pertinaciter inhærens omnium oculis obversaretur. Sanè hodierni etiam Judæi non tantum excidii poenam illis, qui non circumcisi sunt, Divino asserto tribuunt, verum etiam infantes, si, antequam circumcisi essent, morerentur, mortuos quoque eo characterè signari volunt, ac præterea *incircumcisi* ac *preputiati* nomine ad probrum & convicium utuntur. Atque hinc etiam, ut major huic Moisaicæ sanctioni autoritas accederet, nonnulli, qui seculo nugatorum feracissimo vixerunt, Adamum, Sethum, Noam, aliosque qui ante Abrahamum extiterunt, circumcisos natos fuisse, finxerunt, uti legere est in *Schalscheleth hakkab. f. 6. b.* quamvis de Adamo contrarium extet R. Jehudæ dictum *אדם הראשון משוך בערלתו היה* *Adam primus attractum habuit preputium*, in *Sanhedrin c. 4. f. 48.* & in *Jalkut ad Hof. VI. 7. f. 125. a. edit. Ligurn.* Tantum quippe dignitatis circumcisioni deferebant Judæi, quos etiam Arabes imitati sunt, usque adeò, ut in *Theologia Mohammedis cap. ult.* legatur, Gabrielem angelum

A 2

gelum Adamum circumcidisse teste *Hacksperio c. 7. tr. de scriptorum Judaic. in Theologia usu, p. 475.* quod miror *Marraccium* in nupera *Alcorani refutatione* nullibi attigisse, qui reliquas orientalium de Adamo fabulas sedulò collegit. Uti verò Judæi, quamdiu genti suæ adhererant, maximi eam faciebant, ita è contra illi, qui à Judaismo desciverant, unà cum reliquis cæremoniis Judaicis hanc imprimis labem è corporibus suis delere sedulò allaborabant, partim ne amplius gentibus ludibrio essent, partim ne cum Judæis ultra aliquod commercium habere censerentur. Quam in rem arte quadam medica retractum superinducebant præputium, quamvis aliqui ex ipsis quoque Judæis merè voluptatis gratia eadem arte sibi præputium restituerent. Tales à Judæis **משוכי** sive *repraputiati* aut *recutiati* appellati, ac pro hæreticis, id est talibus, qui juxta *Maimonidem nullam habent partem in seculo futuro*, agniti fuerunt, quos denuò quoque circumcidi debere illi fanciverunt. De quibus cum multa passim in Hebræorum scriptis alibique legantur, quæ non parum faciant ad illustrationem loci cujusdam in Novo Testamento, argumentum dignum existimavimus, cui aliquam diligentiam impenderemus. Tu verò L. B. conatibus nostris fave, ac si quibusdam verbis offenderis, eà in hoc argumento vix prætermitti potuisse cogita, memor illius *Augustini de Civit. Dei lib. 4. c. 23.* Quisquis ad has literas impudicus accedit, culpam refugiat, non naturam, facta denotet suæ turpitudinis, non verba nostræ necessitatis, in quibus mihi facillimè pudicus & religiosus lector & auditor ignoscet.



S. I.



Ntequam verò ad rem ipsam accedamus, rationem vocis מְשֻׁכִּים prius exponere operæ pretium erit. Descendit illa à Rad. מָשַׁךְ quod significat *trahere, attrahere, protrahere*, quo sensu in Scripturis frequentissime occurrit, vide Judic. IV. 6. 1. Reg. XXII. 34. Job. XXIV. 22. Hof. VII. 5. Improprè ad alias quoque interdum res transfertur: uti ad *miserencordiam* Jer. XXXI. 3. Ps. CIX. 12, ad *iniquitatem* Es. V. 18. ad *sonitum cornu* Ex. XIX. 13. Jos. VI. 5. &c. Exempla abunde reperiuntur in *Pagnini Thes. Ling. S, Merceri, Cevallerii & Bertrami* studiis aucto p. 1460. sqq. edit. Lugd. 1575. Inde nomen מָשַׁךְ pro re pretiosa ac è longinquis terris advectà, nec non *protractione* usurpatur, quo referas Ps. CXX. 5. *heu mihi, quia inhabitavi* מָשַׁךְ, quod aliqui de gente Tusciæ vel Moscoviæ exponunt, rectius verò cum *Bocharto in Phaleg. III. 12.* de longo temporis tractu accipitur, *peregrinatus sum diu vel longo tempore*, ut *Aquila* προσηλύτεια ἐν μακροσμίῳ, *Symmachus* παροικῶν παρέλκυσσα, LXX. ἡ παροικία μὲ ἐμακρόνθη, quos sequuntur *Vulgatus, Syrus & Arabs*. Ab hâc significatione Rabbini porrò vocem מְשֻׁכִּים *attractio, protractio*, & מְשֻׁכִּים plur. מְשֻׁכִּים *attracti*, metonymicè ad illum actum, quo *cutis genitalibus attrahitur*, talesque *attractos* sive *attractum præputium habentes* retulerunt, quo solum fere sensu voces מָשַׁךְ, מְשֻׁכִּים & מְשֻׁכִּים perpetuò in eorum scriptis usurpatæ leguntur. Apud Græcos vocabula ἄποσπασται, & ἄποσπαστικοὶ idem ferè significant, quo sensu Gentium Apostolus adhibuit 1. Cor. VII. 18. περιτέμνημένῳ τις ἐκλήθη; μὴ ἄποσπασθῶ. Quod si latinis vocabulis commode reddi deberet, voces *attrahere, retrahere, inducere, adsciscere* &c. *præputium*, itemque *attrahentes, inducentes, adsciscentes sibi præputium*, nec non *attracti*, i. e. qui *attractum præputium habent*, aut *repræputiati* Hebraicarum vocum מְשֻׁכִּים & מָשַׁךְ *emphasin optime explerent*. Fortè quoque *Martialis lib. 7. epigr. 29. in Celiâ*, per *recutitos* tales, quibus *circumcisis cutis succre-*

A 3

vit,

24.

2.

18

1

1

1

14

vit, intellexit, uti ad h. l. animadvertit *Th. Farnabius*, quod sanè si hoc sensu admitti deberet, aptissimum foret Hebraicæ dictioni vocabulum.

§. 2.

Ab Etymologia vocis ad definitionem pergimus, quam breviter quidem optimè tamen tradit *R. Salomo in Glossis ad c. 8. Tr. Talmud. Jevammoth f. 72. a.* מִשׁוֹךְ id est עֲרֵלְתוֹ וְכִסְתָּהּ מִחֹרֵל שֶׁנִּמְשַׁכָּה עֲרֵלְתוֹ וְכִסְתָּהּ אֶת הָעֲטָרָה, *circumcissus, cujus attractum est præputium ita ut cooperiat coronam membri i. e. caput sive glandem membri istius.* Clarius rem exprimit *R. Nissim comm. in Jevammoth R. Alpes f. 428. b.*

מִשׁוֹךְ שֶׁאֵחָר שֶׁנִּמְשַׁכָּה עֲרֵלְתוֹ בֵּין עַל יְדֵי אֲרָכָה בֵּין עֵי חֹרֵל Interpretatio vocis מִשׁוֹךְ (ἡσπασθῆς) hæc est, si postquam circumcissus fuerat, retrahitur præputium vel per homines (i. e. arte quâdam) vel per aliquam agritudinem (i. e. si per naturam recrevit). Nimirum hoc duplici imprimis modo fieri potuisse Judæi observant. Aliis enim, etsi à suis parentibus fuissent in tenellâ ætate rite circumcissi, postquam adolevissent, ex singulari naturæ vigore præputium iterum succrescebat, quales Israelitas, quos Josua secunda vice circumcidere à Deo jubebatur, Jos. V. 1. fuisse nonnulli existimant: alii verò arte quâdam medicâ, subductâ atque distentâ pelliculâ, novum sibi præputium comparaverant, glandemque eo iterum contexerant. Idque vel voluptatis gratia promiscuè, vel propter pudorem, elegantix ergo ab iis factum, qui Judaicâ religione desertâ ad gentes se converterant, ut nulla amplius Judaici ritus vestigia in corporibus eorum superessent.

§. 3.

Ac quod illos primum attinet, qui libidinis ac voluptatis ergo sibi hanc jacturam resarciebant, ratio, quæ istos cupidineos ad tam nefandum scelus pellexit, ista forte reddi potest, quod majori stimulo carnis desideria impleri posse sibi imaginarentur, si pelliculâ ista instructi essent, ac prætereâ scortis quoque aut puellulis suis delicatissimis se melius placituros crederent, quæ majorem voluptatem de-

præ-

24.
24.
24.
18.
14.
prædicant, si cum homine concubuerint, cui vel nunquam præputium
defuit, vel arte refarcitum est. Notum quippe istis impudicis erat,
circumcisionem ad membri & concupiscentiæ debilitatem plurimum
conferre, cui hæc ratione remedium afferre gestiebant. Certè propter
hanc imprimis rationem Circumcisionem à Deo institutam fuisse, ut li-
bido hominum diminuat, & membrum hoc, quantum fieri potest,
ad actum istum debilitetur, fatetur expressè *Maimonides Part. 3. lib.*
more Nevuchim. c. 49. f. 168. b. edit. Salonic. quæ verba digna sunt, ut
integre huc transcribantur **וכן המילה אצלי אחד מטעמים**

למעט המשגל ולהחליש זה האבר כפי היכולת עד שימעט
במעשה הזה. וכבר חשבו שזאת המילה היא השלמת חסרון
יצירה ומצאת כל חולק מקום לחלוץ. ולומר איך יהיו
הדברים הטבעיים חסרי עד שיצטרכו להשלמה מתוך עם
מה שהתבאר מתועלת העור ההוא לאבר ההוא ולא
נתנה מצוה זו להשלים חסרון הבריאות רק להשלים
חסרון המדות והנזק ההוא הנזפני המגיע לאבר ההוא
הוא המכון אשר לא יפסד בו דבר מן הפעולות שבהם
עמידת האיש ולא תבטל בעבורו ההולדה אבל
תחסר בו התאורה היתרה על הצורך והיות המילה
מחלשת כח חקשו ופעמים שתחסר ההנאה הוא דבר
שאין ספק בו כי האבר כשישפוך דמו ויוסר מחסוהו מתחלת
בריאתו יחלש בלי ספק ובכאור אמרו החכמי ז"ל הנבעלת
לערה קשה לפרוש ממנו זהו החזק בטעמי המילה אצלי
ומי היה מתחיל הזה המעשה רק אברתם אבינו עליו השלום
אשר

אשר נודע מראת חטאו מר שזכרו ז"ל כאמרו הנ"ל
נ"ל, id est ex versione Buxtorfi

fil. p. 505. Porro Circumcisio etiam, meo iudicio, propter hanc rationem instituta est, ut libido hominum diminuat, & membrum hoc, quantum fieri potest, ad actum illum debilitetur. Quidam existimarunt, Circumcisionem istam esse perfectionem defectus natiuitatis; prout quilibet contradicendi avidus facillime materiam invenire potest. Dicendum autem illis, quæ ratione res naturales ita imperfectæ esse possint, ut exterius perfici opus habeant? præter id quod asserri potest de utilitate, quam pellicula illa membro isti affert. Præceptum itaque istud non est datum ad supplendum defectum Creationis, sed ad corrigendum defectum morum. Damnum enim illud, quod membro isti inferitur, est illud ipsum, quod intenditur, quo nulla actio corrumpitur, in quo essentia Viri consistit, neque etiam facultas generandi adimitur, sed superfluum tantum appetitus coeundi diminuitur. Quod autem Circumcisio virtutem intensivam membri illius voluptatemque debilitet, id extra omnem dubitationem est. Nam cum membrum illud statim in ipsa natiuitate sanguinem suum effundit, tegumentumque amittit, sine omni dubio exinde debilitatur. Hinc dixerunt sapientes nostri p. m. mulierem cum viro incircumciso matrimonio junctam difficulter ab ipso posse abstrahi. Atque hæc est principalis ratio meo quidem iudicio, in Circumcisione. Quis autem alius opus hoc incepit, quam Abraham pater noster? de quo notum est quantum peccatum pertimuerit, sicuti Sapientes nostri commemorarunt super illud quod (Gen. XX. ii.) scriptum est Ecce, nunc novi, quod mulier pulchra aspectu sis. Hoc jam ante Maimonidem Philo Judæus observaverat, qui lib. de Circumcis. p. 811. scribit: Ejus membri circumcisio σὺμβολον ἡδονῶν ἐκτομῆς, αἱ κατὰ γονεὺς ἄγνοιαν, symbolum erat excisionis voluptatum, quæ mentem fascinant, & quia inter voluptatum illecebras principatum tenent, quæ partem illam tuillant & afficiunt, idcirco Legislatores partem eam mutilari iusserunt, ut significarent, voluptates superfluas resecandas esse. Et alibi lib. de migrat. Abrahami p. 402. τὸ ἀετέμεναι inquit, ἡδονῶν καὶ παθῶν παντῶν ἐκτομὴν, καὶ δόξης ἀλάτρωσιν αἰσεβῆς ἐμφάνει, circumcisio notat voluptatum affectuumque omnium excisionem & opinionum insu-
per

24.

per impiarum. Hinc factum forsan quod S. Jacobus I. 21. ad vitam Ethnicam & impuram abnegandam hortetur verbis, quibus allusum videtur ad pelliculæ illius superflua rejectionem circumcissione factam. Jungimus S. Chrysostomi verba huc apprimè facientia ex Homil. 39. in Genes. p. 567. ὅρα σοφίαν Δεσπότα, πῶς εἰδᾶς τὴ μελλόντων ἐστῆσαι, τὸ ἀτελεῖς τὴ γνώμης, καὶ ἅπτερ χαλινὸν τινα ἔπιτιθεῖς. Vide sapientiam Domini, quomodo cum sciret imperfectas & pravas eorum (Judæorum) mentes futuras, signum Circumcissionis quasi frenum quoddam imposuit ad indomitos eorum impetus cohibendos, ut ne gentibus commiscerentur. Utrum verò hæc vera circumcissionis à Deo instituta causa fuerit, & anne per illam hoc, quod ipsi Maimonides tribuit, efficiatur, cum Episcopo Inst. Theol. lib. 2. c. 10. p. 45. aut Erichmuto diff. de Circumcissione Zippora c. 2. §. 4. qui contra hoc disputant, inquirere non sumus, cum non in alium finem hæc à nobis allata sint, quam ut constaret, pervulgatam inter Judæos ac reliquos Gentes opinionem fuisse, circumcissionem carnis fomitus extinguere, ac propterea libidinosos quosdam tam suave naturæ donum in integrum sibi restituisse, ut Venæri cupidius indulgere possent.

S. 4.

18

Ex horum fortè numero, si Judæis credimus, Achan fuit, cujus fit in Scriptura mentio Jos. VII. de quo in Tr. Sanhedrin f. 44. a. R. Jehuda bar Misparta prodidit, ipsum fuisse משוך בערלתו, attraxit præputii, ad quæ verba R. Salomo ita scribit, משר את אמתו תמיד, עד שנשתרככה וכסתרה את ראש הגיד כרו שלא יראה מהו, attraxit pelliculam membri sui jugiter donec augetur, obtegeretque caput membri istius, ut non appareret circumcissus esse. Ejusdem criminis Judæi Jehozakimum impium Jehudæ Regem insimulant, uti in libro Tanchuma f. 9. col. 4. edit. Bemberg. A. 305. legi potest, ubi hæc inter alia annotata sunt: ואף מלכי בית דוד כטלו את המילה שהרי וחיוקים משך לו ערלתו שנ ויתר דברי החיוקים וכל תועבותיו אשר עשה והנמצא עליו. מה נמצא

B

14

מולות עליו שמשך לו ערלה. id est, non minus Reges è stirpe Davidis prevaricati sunt adversus præceptum de circumcissione, nam ecce Jehojakim sibi ipsi præputium induxit sicut scriptum est (2. Chron. XXXVI. 8.) & reliquæ res Jojakimi & abominationes ejus, & quod de eo invenitur. *Quid invenitur de eo? nempe, quod adsciverit sibi præputium. Quod si Joh. Drusio Viro doctissimo not. in 1. Cor. VII. 18. assentiendum deberemus, ad hanc classem illi quoque referri possent, quos Jer. IX. 25. Deus visitare velle minatur מולות בערלה circumcisos in præputio, aut ut ille exponit cum præputio sive præputium habentes, h. e. omnem, qui, cum circumcisos fuit, postea præputium attraxit. Illi sequenti v. 26. recensentur, Ægyptus, Juda, Edom, filii Ammon, Moab, & omnes commorantes in extremo angulo mundi qui habitant in deserto; quos omnes partim libidinis partim decoris ergò isto scelere se contaminasse, ex ipsis Judæis etiam nonnulli asseruerunt. Ita enim ad h. l. in Falkut f. 105. a. cdt. Ligurn legimus, quod ex libro Felammedenu excerptum est, ac præterea in Aruch extat. ופקדתי על כל מול בערלה. מהו מול שהיו*

מולות ומשכו להם ערלה וכלהו בענות א' שנא' על מצרים ועל יהודה על אדום ועל בני עמק ועל קצוצי פאה. על מצרים שהיו מולין בימי יוסף וכשמת יוסף משכו להם ערלה שנא' כי בנים זרים ילדו. ועל יהודה זרה יהויקים מלך יהודה. ועל אדום זרה עשו. ועל בני עמק אלו שילדו בנו לזט ועל כל קצוצי פאה אלו

id est scriptum est, Et animadvertam in omnem circumcisum cum præputio. *Quid hæc verba sibi volunt? fuerunt quippe ex circumcisos, qui sibi attraxerunt præputium, & summatim hic recensentur, nempe Ægyptii, Jehuda, Edom, filii Ammon, & commorantes in extremo angu-*

24.
24.
18
14

angulo. Per Ægyptios intelliguntur illi, qui circumcisi erant in diebus Joseph, eoque mortuo præputium sibi attraxerant, quemadmodum scriptum extat (Hof. V. 7.) quia filios extraneos pepererunt. Per Judam denotatur Jehojakim Rex Juda. Edom id est Esau. Filii Ammon, illi scilicet, quos peperunt filia Loth. Denique commorantes in extremo angulo sunt Ismaelita. Hanc tamen verborum Jeremiæ interpretationem rejicit Cuneus lib. 3. de Republ. Hebr. c. 5.

§. 5.

Hæc de illis, qui libidinis & voluptatis gratia præputium attraxerunt, dixisse sufficiat, quorum quidem inter ipsos Judæos, quamdiu ceremoniis Mosaicis addicti erant, paucissimos extitisse, ob severam circumcisionis legem, cui subjacebant, credibile est; inter illos verò, qui cum gentibus se commiscuerant, plures forte istam voluptatis particulam sibi restituisse, dubitare nos non sinunt, quæ de variis gentium pollutionibus, quas isti verpi mininè averfabantur, ubivis annotata legimus.

§. 6.

Enimverò multò major fuit illorum numerus, qui, postquam Judaicâ religione abjuratâ ad Christianos aut alias gentes se converterant, vel ex odio Judaismi vel ex superstitione aliquâ præputium sibi iterum adsciverant, alii verò, cum Romani rerum in Judæa potirentur, hostium injuriis exagitati & vexati, eâdem illâ ratione religionis suæ professionem dissimulaverant. Tales quidem fermè Apostoli Pauli ætate plurimos extitisse, dubitari nequit, qui ex Judaismo ad Christianismum conversi, sibi probrosam in Christianismo circumcisionem esse credebant, ac propterea præputium reducebant, quod verat fieri Apostolus I. Cor. VII. 18. *ᾧτε τεμημένῳ τις ἐκλήθη; μὴ ὄπισθεν ἔω ἀκροβυστία τις ἐκλήθη; μὴ ᾧτε τεμένέδῳ, circumcissus aliquis vocatus est? (יְמֻשׁ לְאֵן) ne attrahat præputium: in præputio aliquis vocatus est? ne circumcidatur. Conf. Gal. VI. 15. Quæ quidem verba non tantum mysticè ita exponi debent, ut attrahere præputium*

B 2

idem

idem sit, quod optare mente, & quantum fieri potest, adlaborare, ne ex-
simum præputium videatur, sive ita te gerere ac si præputiatus non sis,
quemadmodum *Episcopus Insit. Theol. lib. 2. c. 10. p. 44. b.* interpre-
tatur, verum ad literam de ipso illo more tum inter Judæos & Phari-
sæos (quorum sectæ etiam Paulus in Judaismo addictus fuerat) satis no-
to, & a multis temporibus inter eos usurpato intelligenda sunt. Hoc
scilicet Apostolus vetat, ne Judæi credentes in Christum, idem face-
rent, quod cæteri consueverant, cum ad Gentes descenderent; neve gen-
tiles in Christum credentes id agerent, quod alii ad Judæorum religio-
nem transcentes & inter profelytos se profitentes, (quos quidem cir-
cumcidere opus erat) solii erant facere. Id enim amplius nemini obesse.
Vid. *Baron. Annal. Tom. I. ad A. C. 57. n. 72. p. 467. edit. Plantin.* nec
non Interpretes N. T. ad I. c. imprimis *Hammondum p. 533.* itemque
Buxtorf. in Lex. Talmud. p. 1277. & in *Epistola ad Rabinum ap. Th.*
Baribolinum de morbis Bibl. c. 26.

S. 7.

Vigebat ergo tum temporis apud Judæos ista malis artibus ex-
cogitata perfidia, ut ad libitum, cum vellent à patriis legibus ad gen-
tiles descere, hanc pelliculam iterum induerent, sique se Judæos am-
plius esse negarent. Quod etiam paucis post Apostoli obitum annis
à Menelao & Tobia filiis cum inter illum ac Jasonem fratrem simulta-
tes ortæ essent, atque isti ad Antiochum Apostatam Judæorum Regem,
qui fermè Græcicam religionem adsciverat, secesserant, factum fuisse,
Josephus memorat lib. 12. Antiquit. Jud. c. 6. Concitata autem per fra-
tre[m] contra novum Pontificem Menelaum seditione, & populo in partes
scisso, Tobie filii steterunt à Menelai partibus; major autem populi pars
factionem Jasonis sequebatur. Quorum vim non sustinentes Menelaus
& Tobie filii, secesserunt ad Antiochum, δηλώντες αὐτῷ ὅτι βασιλευσάντες
πατέρας νόμους καὶ αἰλιπόντες, καὶ τὴν αὐτῶν πολιτείαν, ἐπέσταν τοῖς βα-
σιλικαῖς, καὶ τὴν ἑλληνικὴν πολιτείαν ἔχον. Παρεκάλεσαν ἐν αὐτῶν
ἑπιτέλειαν αὐτοῖς, οἰκοδομήσαι γυμνάσιον ἐν ἱερουσόμοις. συγχαρή-
σαι ἡ καὶ τὴν αἰδοίων ᾤτιομένην ἐπέκαλυψαν, ὡς ἂν εἶεν καὶ τὰ πατρὶ-
αἰπόδοσιν ἑλλήνας, dicentes se velle, relictis patriis institutis ac legibus, re-
ligionem Regis & Græcicos ritus assumere: rogaveruntque eum, ut si-
bi permitteret, Gymnasium Hierosolymis extruere, quo impetrato, ad
du-

duxerunt sibi præputia, ut nudæ quoque non essent Grecis dissimiles. Idem refertur 1. Macc. I. 15. 16. ubi pro illis τῶν τῶν ἀδελφῶν ἡστρο-
μῶ ἐπεκάλυψαν, simpliciter ἐποίησαν ἐαυτῶν ἀκεφθυσίας; fecerunt si-
bi præputia.

S. 8.

Inter illos quoque, qui à Romanorum partibus ad *Bencozibam* si-
ve *Bar Cocab* Pseudomessiam Judæorum defecerant, ejusdemque sacra
iterum amplexi fuerant, multos attractum præputium habuisse, quos
ille, denuò circumcidi jussit, Judæi annotarunt. Sic enim ad *Tr. Jevam-*
moth c. 8. in utroque *Talmude, Babylonico f. 72. a. & Hierosolymitano*

f. 9. a. legimus, הרבה משוכים היו בימי בן כוזבא וכולן מלו

multi cum attracto præputio fuerunt

in diebus *Bencosibæ*, qui omnes denuò circumcisi sunt, vixeruntque, & et-
iam filios filiasque postea genuerunt. Hos quidem invitos à Romanis
ad id coactos fuisse probe annotat *Masius ad Jos. V. 2.* uti etiam *R. Sa-*
lomo & R. Nisim ad Jevammoth f. 428. b. per vim ipsis præputium re-
tractum fuisse asserunt; ast prævaluit *Bencosiba*, occupatâque urbe *Bitber*
sive *Betar* omnes iterum circumcidi jussit. Postmodum tamen ab *Æ-*
lio Hadriano urbs recuperata fuit, interemptis cum impostore quadra-
gies centenis Hebræorum millibus, quo tempore absque dubio illi qui
superstites ex clade remanserant, pristinum iterum præputium sibi in-
dlexerunt. De hac revolutione ac ingenti strage Judæorum hujus mi-
feri turbis excitatâ omninò legi merentur *Tillemontius Tr. de Revoltes*
des Juifs art. 3. seqq. T. 2. Hist. des Empereurs p. 494. seqq. nec non
Joh. à Lendt. de Judæorum Pseudomesiis cap. 1.

S. 9.

Eundem morem apud Samaritanos quoque olim obtinuisse,
Epiphanius Constantiæ Episcopus memorat, qui *lib. de mensuris & pon-*
der. p. m. 172. affirmat, quisquis Judæorum ad Samaritanos deficeret,
eum novo præputio comparato novâ circumcissione initiari solere, quem
admodum vicissim, qui ad Judæos à Samaritanis confugiunt, novam

B 3

pro-

propterea circumcissionem suscipiant: idque Symmacho quoque cuius
 inter Græcos S. historiae interpretes celebre nomen est, inter alios ac-
 cidisse ait, Imperante Severo, cum ob affectatum regnum ille apud
 suos Samaritanos odio maximo laborans, se ad Judæos contulisset, at-
 que his nomen dare constituisset. Equidem hoc quod Epiphanius de
 mutuâ illâ iteratâ circumcissione tradit, dubium alicui movere posset,
 quandoquidem contrarium S. Augustinus asserat *lib. I. cont. Crescon. c.*
34. Numquid apud Samaritanos circumcissus, si fieri tunc vellet Judæus,
posset iterum circumcidi? Nonne illius hominis error corrigeretur, signa-
culum autem fidei agnitum probaretur? Et nunc sunt quidam Heretici,
qui se Nazarenos vocant, à nonnullis autem Symmachiani appellantur,
& circumcissionem habent Judæorum, & baptismum Christianorum, ac
per hoc, quemadmodum si quis eorum ad Judæos venerit, non potest ite-
rum circumcidi, sic cum ad nos venerit, non debet iterum baptizari. Id-
 que eo magis mirum videtur, quod circumcissionem solis olim Judæis
 veterum Imperatorum legibus permissam fuisse, cæteris interdictam
 legimus, etiam Samaritanis, quibus contrafacientibus, castrantis poena
 irrogatur. Quâ de re insignis Origenis locus annotari meretur *lib. 2.*
cont. Celsum p. 68. edit. Spencer: Ἀλλὰ Φήσει τις ὅτι ἡ Σαμαριτῆς Ἄθε-
τῆ ἐαυτῶν θεοσεβείαν διώκοντα. Πρὸς δὲ τοιαῦτα ἐξέρχουσι οἱ σικάριοι διὰ
τῆ περὶ σουίν, ὡς ἀπρωτηρέζοντες ὡρῶν τὰς καθεστῶτας νόμους ἢ τὰ Ἰσ-
δαίαις συγχεχωρημένα μόνοις ἀναρῶνται. Sed dicet aliquis etiam Sa-
 maritas persecutionem pati propter suam religionem. Ei respondebi-
 mus, sicarios propter circumcissionem occidi, quod seipsos mutilent, con-
 tra præscripta legum, quæ solis Judæis id permittunt. Plura vide ap.
Petavium Animadvers. in Epiphan. c. 1. p. 400. Quod Judæos attinet,
 horum quidem religio cum circumcissionis jugo tam arcte conjuncta
 erat, ut neminem in eam adoptare liceret, antequam prius circumci-
 ssus esset, uti patet ex *Exod. XII. 48. Num. XV. 15. Conf. præterea Ge-*
mara Babyl. Tr. Jerammoth c. 4. f. 46. a. Cerithut c. 2. f. 8. 9. Maimon.
hilch. Issure Biab c. 13. 14 Semag præc. negat. n. 116. Fore Dea c. 268. add.
Seldenus de success. in bona defunct. c. 26. & de J. N. & G. II. 2. Imò verò
 illos etiam, qui præputium attraxerant, iterum circumcidi opus habuisse
 ex iis, quæ postea dicentur, constabit.

Sequitur apud Epiphanium, τέχνη τῆς ἰατρικῆς διὰ τὴν καλεσμένην σπαθιστήρος (alii legunt σπαθιτῆρος) ἢ τῶν μελῶν ὑποδερμαλίδα ὑποσπαθισθῆνες, ῥα φένεστε, καὶ κολλητικαῖς περιόδωθῆνες, ἀκροβυσίαι αὐθις αὐτῶν ὑποπλεῖσιν, *medicā quadam arte, eoque quem spatistherem vocant (instrumento) glandis cuticulam attrabentes consuunt, ac glutino circum adstringunt, atque ita præputium recuperant.* Ac tandem subjicit, τὰ ὑπὸ τῆς παράδοσιν τῆς κακοδαίμων ἐνόιας Φασί τῆς αὐτῆς ἀδελφῶν ἔκαστος ἐνρηκέναι πρὸς ἀπαρνησιδέειαν καὶ πρὸς ἀφαισισμόν ἔτι πατέρων αὐτῶν χαρὰ τῆς, *Quod nefarium ac accestandum artificium ab Esau Jacobi fratre repertum memorant, ut eo facilius ejurare Deum ἔκαστος ἀποδέχεται ἀπὸ τῶν ἀποστόλων, unde natam illam Dei vocem existimant, Esau odio habui, Jacob autem dilexi.* (Mal. I. 2.) Id quod unde Epiphanius habuerit, mirum videtur Cl. Buxtorfio *Lex. Talmud. p. 1276.* sq. qui hactenus se de eo in Hebræorum libris nihil observasse fatetur. Ast supra §. 4. ex libro *Jelammedeni*, quo antiquissimæ Judæorum traditiones atque expositiones, Epiphaniū ævo fermè pervulgatæ, continentur, locum adduximus, ex quo apparet, Esauum quoque inter illos numerari, qui præputium attraxerant, quamvis pro Authore aut Inventore istius criminis minimè habeatur.

§. II.

Observari autem meretur, quod de isto instrumento attractorio, cujus ope præputium induci possit, Epiphanius memorat. Ac fortassis, quod magis receptum est, *Ἰπιασῆρ* potius legendum, quam *Spathister*, ut sit Attractor sive instrumentum, quo aliquid attrahitur ab *Ἰπιασῶ* vel *Ἰπιασάομαι*. Quod quale instrumentum fuerit *Henr. Stephanus in Thes.* annotavit, pro quo aliud interdum instrumentum *Σμίλλη*, & *Σπάθιον* i. e. *scalpellum*. (chirurgicum) ut *A. Cornelius Celsus de medic. lib. 7. c. 25.* habet, adhibitum fuisse, nonnulli produnt. Prius confirmat *Lucianus apolog. pro merced. cond. p. 485.* ubi per jocum medicinas adornari postulat καὶ τὸ σμίλλω, καὶ τὸ καυτήριον διὰ πυρρον *scalpellum ἔκαστος cauterium candens*: posterius apud *Aginetam* & in *Hippiatr.* reperitur. Vide etiam *Corn. à Lapide comm. in c. I. Apostoli*, qui eam mend-

dendi rationem, quam scalpello factam prodit Celsus, ab ea, quam Epiphanius tradit, nihil diversam fuisse existimat. Ipsa verò Cornelii Celsi verba huc transcribenda sunt, cum ad institutum nostrum faciant: *In cole inquit, si glans nuda est, vultque aliquis eam decoris causa tegere, fieri potest: sed expeditius in puero quam in viro; in eo, cui id naturale est, quam in eo, qui quarundam gentium more circumcisis est; in eo cui glans parva iuxtaque eam cutis spatiosior, brevis ipse coles est, quam in quo contraria his sunt. Curatio autem eorum, quibus id naturale est, ejusmodi est. Cutis circa glandemprehenditur & extenditur, donec illam ipsam condat, ibique deligatur. -- At in eo, qui circumcisis est sub circulo glandis scalpello diducenda cutis ab interiore cole est, &c.*

§. 12.

Fieri ergo etiam à circumcisis poterat, ut quemadmodum Theophrastus in 1. Epist. ad Corinth. c. 7. scribit, multi quos defecta pellicula puduisset, medicamento apposito, & hanc nitentur iteratò sanare, & obscenum illud concisum in pristinum statum redigere. Ast vix aliter quam ejusmodi instrumento illud factu possibile fuisse credibile est, quamvis aliàs iis qui naturà curti, aut quibus casu disrupta præputia fuerunt, succis quoque ac emplastris eadem restitui potuisse constet. Sic enim de melle Dioscorides lib. 2. c. 101. asserit, *λειποδέρμης τῆ τῆς μὴ ἐκ ἀφρομῆς ἀποκαθίστησι, μαλασομένης τὸ παδῆς τῷ μέλιτι, μάλιστ' ἀπὸ βαλανείας ἐφ' ἡμέρας λ'.* Verpis seu curtis glandem, qua citra circumcisionem nudata sit, in integrum restituit, si melle præputium à balneo potissimum ad dies triginta emolliatur. Eandem virtutem Thapsiæ succo adscribit lib. 4. c. 157. *χρησιμέυει ἢ πρὸς ἐπαγάγια ὅτι τὸ μὴ ἐκ ἀφρομῆς λειποδέρμων, οἰδημα ἐγείρων ὑπερκαταντλημδρον ἢ ταῖς λιπαίνουσι μαλατῆσδμδρον, τὸ ἐλλειπές τὸ πρόδης ἐκπληροῖ.* Valet & ad integendam colis glandem, si modo alia ex causa quam circumcissione nudata fuerit. Tumorem enim excitat, qui & foetibus & pinguibus adhibitis emollitus, præputii jacturam resarcit. Quibus verbis hæc Judæis circumcisis prædesse posse, apertè negat. Et ratio reddi potest, quia, cum Judæi tenellos infantes circumcidunt, omnem cutem, quæ operit colis glandem, præcidunt, usque dum m-

24.
tegre denudata fuerit. Illud vocatur כְּלִיפָה, cuius tanta apud ipsos est necessitas, ut glande non integrè nudatà Circumcisionem irritam ac iterandam pronuncient: quo ipso etiam illorum circumcisio à Turcarum circumcisione differt, qui pellem simplici tantum incisione dividunt, non præcidunt. Vid. *Maimon. hilch. mila c. 2. n. 2. 3. seqq.* *110 præc. aff. c. 28. Joredea n. 260.* Quam ob causam illis, qui hoc modo rite circumcisi fuerunt, talibus emplastris præputium resarcire impossibile fuit, nec alio remedio quam huiusmodi sparhistere aut scalpello hoc dissectum præputium integrum restitui potuit, quæ etiam tantum istis verpis adhibitum fuisse, ex iis, quæ hæcenus in medium allata sunt, abunde confici potest.

§. 13.

Hæc cum ita sint, non satis mirari possum, quid aliquibus in mentem venerit, ut tale quid unquam factum fuisse, aut fieri potuisse in dubium vocarint. Sic enim *Origenes lib. 4. τῶν ἀρχαίων*, nullo modo revocari posse semel amputatum præputium, prodidit. Et *S. Hieronymus* quoque Judaicarum rerum non omninò expers, *lib. 1. adv. Jovinianum T. 2. p. 19. b. num.*, inquit, *qui semel amputatum habet præputium, potest si velit rursus illud adducere?* ubi etiam illa Apostoli verba, *circumcisus aliquis vocatus est, ne adducat præputium*, pag. 19. mysticè de cœlibatu exponit: *eo tempore quo vocatus es & credidisti in Christum, si circumcisus vocatus es ab uxore, & cælebs eras, noli ducere uxorem: hoc est noli adducere præputium, ne circumcisionis & pudicitie libertatem oneres sarcina nuptiarum. Rursum, si in præputio quis vocatus est, ne circumcidatur: habebas uxorem cum credidisti, noli fidem Christi putare causam dissidii &c.* Eadem ferè repetit *comm. in Es. LII. T. 5. p. 161. a. mibi videtur aliis verbis dicere, (nempe Apostolus in illo loco 1. Cor. VII. 18.) absque uxore vocatus est & credidit, non ducat uxorem, vel è contrario; habens uxorem in Christum credidit, nequaquam divortium faciat. Neque enim potestatis nostræ est præputium adducere post circumcisionem juxta eos qui in Maccabeorum libro (C. 1. v. 16.) dicuntur sibi fecisse præputia, quod de nascentibus filiis, & non de patribus dicitur.* Alia testimonia ad-

C

duxit

duxit Cl. Rhodius in *diff. de Acta t. 6. p. 91. seqq.* ubi mire se torquet, ut evidentem hujus rei veritatem infirmet, ac ex medicis principiiis ejus falsitatem arguat: quam ob rem non modo mysticum & symbolicum in citatis Apostoli verbis Interpretum sensum adprobat, verum etiam ex loco illo 1. Macc. I. 16. & apud Josephum Antiq. Jud. XII. 6. nihil aliud constare asserit, quam Judæos, impetrato Hierosolymis apud Antiochum à Menelao & filiis Tobia Gymnasio, circumcissionem suam occultasse, ut Græcis in denudatione non apparerent similes. Atque hanc sententiam Rabbiniis suis illic à se consultis probari scribit, qui negant apud majores suos talis artificii memoriam deprehendi. Præterea ad Celsi & Epiphaniï testimonia quædam regerens, illud firmo talo minimè niti, hoc verò vulgari famæ deberi affirmat, tandemque alia testimonia Medicorum, qui id factu impossibile esse judicarunt, pro stabilienda sententiâ suâ adducit, ac prolubitu interpretatur.

§. 14.

Enimverò, quàm lubrica hæc sint, vel primo intuitu apparet. Nam quod primò S. Origenem & S. Hieronymum attinet, eorum sanè auctoritas minimè tanta nobis esse potest, ut hoc simpliciter negantibus, nos contrarium edocti fidem præbeamus, quibus etiam aliorum SS. Patrum autoritas majori numero opponi potest. Neque etiam illi expositioni verborum Apostoli, quam Hieronymus privata hypotheseos stabiliendæ ergo excogitavit, quicquam roboris inest, quod vel integer contextus, ac scopus Apostoli manifestò arguit. Unde verò Hieronymus probare potest, hoc, quod in Maccabæorum libro de iis, qui præputium sibi fecerant, asseritur, de nascentibus filiis, & non de patribus sive adultis dici? Certè Menelaus & Tobia filii adulti erant, quos tale crimen commisisse Josephus memorat, cujus verba cum scriptore libri Maccabæorum conferri debent. Quod etiam si perpendisset doctissimus Rhodius, facillimè animadvertere potuisset, Josephi verba τῶν αἰδοίων περιτομῶν ἐπεκαλύψαν, nullum alium sensum admittere, quàm illum quem Maccabæus scriptor expressit ἐποίησαν ἑαυτοῖς ἀπεργυρίας, i. e. sensu Judaico pervulgato מִשְׁכּוֹ לְהַתְּחִיל מִשְׁכּוֹ לְהַתְּחִיל. Equidem negat celeberrimus medicus, extare in Judæorum scriptis hu-

24.
2.
2.
18
1
1
1
14

hujus artis vestigia, uti ex aliorum famâ accepit, ast ex iis saltem quæ adduximus, ac mox subjiçiemus, liquebit, Rabbinos illos, quos ipse contulit, rerum suarum imperitissimos fuisse, contra extare etiam in antiquissimis Judæorum libris haud pauca testimonia, quæ tale quid fieri potuisse & factum fuisse innuunt. An autem medicè istud fieri potuerit, disputare nolumus. Sanè Epiphaniï & Celsi autoritas nobis sufficit, ut aliorum Medicorum exceptionibus opponatur, quanquam alii quoque allegari possint, qui quâ ratione præputium resarciatur demonstrarunt, quos allegatos vide ap. *Th. Bartholinum in miscellan. medic. de morbis Biblicis c. 26.*

§. 15.

Restat ut Judæorum placita afferamus, quæ circa illos, qui præputium attraxerant, sanciverunt. Talis ergo, si ad Hebræorum legem denuò reverti voluit, ex præscripto Rabbiorum, necesse habuit, ut iterum circumcidatur. Ac quanquam R. Juda semel circumcisum non amplius circumcidendum esse dixerit מפני הסכנה *propter periculum* nempe sterilitatis vel vitæ, reliqui tamen uno ore omnes determinarunt, talem iterum circumcidendum esse מפילו מעמי *etiam centies si opus fuerit*, neque aliquod periculum metuendum esse, quia tempore ben Cuzibæ quoque ii, qui sibi præputium adsciverant, iterum fuerunt circumcisi, quod tamen illis minime nocuit, sed incolumes vixerunt, filiosque ac filias procrearunt. Extat de hac re unicus in Thalmude locus in *Gemar. Babyl. Tr. Jevamoth. c. 8. f. 72.* quem huc transcribemus.

משוך צריך שימור
מדרכנן ודקאדי ליה מאי קארנו ליה הוה צריך קתני
קטעי כסיפא די יהודה אומר לה ומורל מפני שסכנה
היא לו אמרו לו ונהלתי הרבה מלו בימי בן כוזבא
והולידו בנים וכנות שנ המורל ומורל מפילו מאר
פעמים ואומר את כרותי תפר להבות את המשוך :

Attractus præputio necesse habet ut iterum circumcidatur ex decreto

C 2

Rab-

Rabbinorum, & ut decerpant ei. (præputium). Quomodo decerpunt? opus est, ut abscindant limen seu labium ipsius. R. Juda dicit: non circumcidetur, quia periculum est ei. Dixerunt illi: nonne plurimi circumcisi denuo sunt in diebus Ben Cuziba, & genuerunt filios & filias? (ergo si illis nihil nocuit, quid de aliis metu opus est?) Præterea scriptum est (Gen. XVII. 13.) circumcidendo circumcidetur (nempe per iterationem, adeo) ut si opus sit, etiam centum vicibus (id fiat): subjungit quippe (Scriptura v. 14.) foedus meum irritum fecit, ut etiam includat Attractum, (talisque perinde habeatur, ac si foedus Dei de circumcisione irritum reddidisset ac profanasset.) Vide etiam *Bereschith rabba* sect. 46. f. 52. a. ejusdemque libri commentarium *Jephe Toar* f. 273. 3. 4. Addè *Bartoloc. Bibl. magn. Rabbin. Part. I. p. 292. & part. III. p. 470.*

§. 16.

Eodem Thalmudis loco, de משוכים sive attractum præputium habentibus sancitum legimus, eos non comedere posse de תרומות sive primitiis sacerdotum, contradicente licet R. Hona. Sic enim legimus: אמר רב הונא דבר תורה משוך אוכל

בתרומה ומדבריה גזרו עליו מפני שנראה כערה

Rabbi Hona bar Torach dixit, attractum comedere de primitiis: at ex verbis eorum (Rabbinorum) vetuerunt illud, propterea quod similis præputiatio sit. De præputiatio verò præcesserat generale Misnæ statu-

tum הערה וכל הטמאים לה יאכלו בתרומה præputiatus & omnes polluti non comedant de primitiis.

§. 17.

Ex quibus colligi facile potest, quam severè in illos animadverterint majores Judæorum, qui divinum circumcisionis foedus, quod & gratiæ Divinæ & religionis suæ signum esse debuit, quo à reliquis

liquis gentibus fecernerentur, irritum reddiderant, isthocque crimine se contaminarant. Quare etiam pro hæreticis tales attractos habuerunt, ac futuri sæculi partem illis denegarunt. Sic enim expressè *Maimonides hilch. Mila c. 3. n. 8.*

כל המפר בריתו של אברהם אבינו והניח ערלתו או משכרו אף על פי שיש בו תורה ומעשים טובים אין לו חלק לעולם הבא

quicumque irritum reddit fœdus Abrahami patris nostri, relinquitque præputium suum, aut denuo illud attrahit, quantumvis legis ac pietatis alias observantissimus sit, non habet partem in futuro seculo. Adde hilch. Teschuva c. 3. n. 6. Imò inter pœnas quoque, quibus Deus impios afficit, præputii restitutionem numerant, uti constat ex

Jelammedent f. 9. col. 3. אבל המינים והמשמרים ופושעי

ישראל שכפרו בהקברו והלכו בחקת הגוים והן

מולין הקבה מושך להן ערלה ונופלין לגיהנם שנאמר שלח

מולין הקבה מושך להן ערלה ונופלין לגיהנם שנאמר שלח

Verum hæreticis, & apostatis, & qui deficientes ab Israel abnegarunt Deum sanctum benedictum, ac incendunt juxta morem gentium, cum tamen circumcisi sint; ipsis Deus præputium reducet, ac in gehennam properabunt, sicut dictum extas

(Ps. LV. 21.) extendit manus suas in colentes pacem secum, profanat fœdus suum.

כֹּה



Eximio Juvveni

PAULO MATTHIÆ Engel/

Amico & Auditori suo per dilecto,

S. P. D.

L. A. Rechenberg/

P. P.

REcte atque ordine facis, quod, cum philosophi-
cas & Philologicas hactenus publicorum do-
ctorum Scholas frequentaris, jam publico speci-
mine edito, Patronis tuam industriam adprobare
sustines. Nam, ut omnes eruditionis partes lau-
dem merentur, & ordine debito tractatæ, in S. The-
ologia usum habent insignem; ita sacra philologia,
quæ Ebrææ gentis ritus exponit, illi in primis inser-
vit. Quod, ni fallor, argumentum, quo de dis-
serere paras, etiam comprobat. Lucem enim
loco Paulino a Te adducto affundit majorem, cu-
jus intellectum non omnes interpretes satis adse-
cuti videntur. Taceo, quod ritus Ebræorum in
circumcisione usitatos, hac occasione, simul eru-
dite evolvis. Macte ergo hac industria, & opti-
mi Parentis Tui *ἄν ἐν αἰσίοις*, vestigia preme, sa-
crisque studiis sedulo incumbere. Non deerunt
Patroni, qui laudabilem industriam juvent. Ipse
Vene-

Venerandus SCHUTZIUS, Theologus apud Gedanenses, non minus solida eruditione, quam animi moderatione insignis, qui paternam Tui curam gerit, pro animi sui bonitate, porro quoque studia, tua atque conatus honestos fovere haut intermitteret. Ego vero DEum veneror, ut illis celestem gratiam adspiret. Vale & rem gere feliciter!

Deproperab. Lipsiæ IV. Jul.
A. CHR. M DC IC.

Florentissimo Iuveni

PAULO MATTHIÆ Engel/

Amico ac Conterraneo præter cæteros charo,
erudite & eleganter disputanti

PRÆSES,

S. P.

CUm superiori seculo Orientales literæ, quæ tam diu exulaverant, quasi postliminio reductæ essent, plurimi vergente licet in senium ætate, studio incredibili ac labore improbo allaborabant, ut earum sibi cognitionem compararent. Quas deinceps alii cum admiratione & stupore ipsorum

Ju-

Judæorum sedulo excoluerunt, quod non modo
Scripturæ S. ac Theologiæ non mediocrem illas
utilitatem afferre persuaderentur, verum etiam abs-
que iis Eruditionem haud constare posse crede-
rent. Alia nostrorum temporum facies est. Ple-
rique cum in Academias veniunt, insanabile mul-
torum cacoëthes imitati, totos Homileticæ se tra-
dunt, de Artibus liberalibus linguisque parum aut
nihil solliciti. Quidvis magis necessarium judi-
catur quàm hæ litteræ. Nonnulli quoque ab iis
discendis alios abstrahunt: adeò ut verendum sit,
ne cum sæculo iterum intereat utilissimum hujus
litteraturæ studium, quod tam multas curas requi-
siverat, antequam ad istud fastigium pervenisset.
Tu vero, *Comerraneæ astumatis sine*, meliori profe-
cto ratione studia tua tractas. Cum Theologiã
enim non vanã illã, quæ ex disceptationibus Scho-
lasticis consuitur, sed verã ac ad Pietatem ducente,
humaniores quoque literas, præsertim vero sacras
conjungis, inque iis proficis laudabiliter. Quã
via, si, ut cœpisti, perrexeris, Civem probum, do-
ctum, & ut uno verbo complectar, veram divi Pa-
rentis Tui imaginem Patriæ meæ polliceor.

Scr. Lipsiæ. Pr. Non. Jul.

clb lbc lc.



